

ma & incommutabilis species, ideoq; incomparabilis. Et illud esset rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, & ex quo cuncta facta essent. Ecce tot modis potuit cognoſci veritas Dei. Cum ergo Deus vna sit & simplex essentia, quæ ex nulla diuisione, partium vel accidentium consistit, pluraliter tamen dicit Apostolus, Inuicibilia Dei, qui pluribus modis cognoscitur veritas Dei per ea, quæ facta sunt. Ex perpetuitate namq; creaturarum intelligitur conditor æternus; ex magnitudine creaturarū, omnipotens; ex ordine & dispositione, sapiens; ex gubernatione, bonus. Hæc autem omnia ad vnitatem deitatis pertinent monstrandam.

F *Quomodo in creaturis appareat vestigium trinitatis.*

Nunc restat ostendere, vtrum per ea, quæ facta sunt aliquod trinitatis indicium, vel saltem vestigiū exiguū haberi poterit. De hoc Augustinus in libro sexto de Trinitate ait: Oportet vt creatorem per ea, quæ facta sunt, intellectu conspicientes, trinitatē intelligamus. Huius enim trinitatis vestigiū in creaturis apparet. Hæc enim quæ arte diuina facta sunt, & vnitatem quandam in se ostendunt, & speciem & ordinem. Nā quodq; horū creatorū & vnum aliquid est, sicut sunt nature corporū & ingenia animarū; & allqua specie formatum, sicut sunt figurae vel qualitates corporū, ac doctrina, vel artes animarū; & ordinem aliquē petit aut tenet, sicut sunt pondera vel collocationes corporum, & amores, vel delectationes animarū. Et ita in creaturis præluet vestigiū trinitatis. In illa enim trinitate, summa origo est omnium rerum, & perfectissima pulchritudo, & beatissima delectatio. Summa autē origo (vt Augustinus ostendit in libro de vera religioe) intelligit deus pater, a quo sunt omnia, a quo filius, & spiritus sanctus. Perfectissima pulchritudo intelligit filius, scilicet veritas patris, nulla ex parte ei dissimilis: quem cū ipso & in ipso pater veneratur, quæ forma est oim, quæ ab initio facta sunt, & ad vñū referunt. Quæ in omnia nec fierent, a patre per filium, neq; suis finibus salua essent, nisi deus suumque bonus esset, qui & nulli naturæ ab illo bona esset, inuidit; & vt in bono ipso maneret, alia quantum vellet, alia quantum posset, dedit. Quæ bonitas intelligit spiritus sanctus, qui est donū patris & filij; quare ipse donum dei cum patre & filio aequē incommutabile, coetere & tenere nos conuenit. Per considerationē itaq; creaturarum, vnius substantia trinitatem intelligimus, scilicet vñū deum patrem, a quo sumus; & filium, per quem sumus; & spiritum sanctum, in quo sumus; scilicet principium ad quod recurrimus, & formā, quam sequimur, & gratiam, qua recediamur vnum scilicet, quo autore conditi sumus; & similitudinem eius, per quā ad vnitatem reformamur; & pacem, qua vnitati adhaeremus; scilicet deū qui dixit, fiat & verbū, per quā factū est omne, quod substantialiter & naturaliter est; & donū benignitatis eius, qua placuit quā ab eo per verbū factū est, & re conciliatū est auctori, vt non interiret. Ecce ostensum est qualiter in creaturis aliquatenus imago trinitatis indicatur. Non enim per creaturarū cōtemplationem sufficiens notitia trinitatis potest haberi vel potuit, sine doctrina vel interioris inspirationis reuelatione. Vnde illi antiqui philosophi quasi per vmbra & de longinquo viderunt veritate, deficientes in cōtactu trinitatis, vt magi Pharaonis in tercio signo: A diuamur tamē in fide inuisibilem per ea, quæ facta sunt.

G *Quomodo in anima sit imago trinitatis.*

Nunc vero ad eam iam pertueniamus disputationē, vbi in mente humana, quæ nouit deū, vel potest nosse, trinitatis imaginem reperiamus. Vt enim ait Augustinus in decimo quarto libro de Trinitate: Licet humana mens non sit eius naturæ cuius deus est, imago tamen illius, quo nihil melius est, ibi quærenda, & inuenienda est, quo natura nostra nil habet melius, id est, in mente. In ipsa etiā mente antequam sit participes dei, eius imago reperit, est enim amissa dei participatione deformis sit, imago dei tamen pmanet. Eo enim ipso imago dei est mens, quo capax eius est, eiusq; participes esse potest. Iam ergo in ea trinitatem, quæ deus est, inquiramus. Ecce enim mens memini sui, intelligit se, diligit se. Hoc si cernimus, cernimus trinitatem: nondū quidem deum, sed imaginem dei. Hic enim quadam apparet trinitas, memoria, intelligentiæ, & amoris. Hæc ergo tria potissimum tractemus, memoriam, intelligentiam, voluntatem. Hæc ergo tria (vt Augustinus ait libro decimo de Trinitate) non sunt tres vitæ, sed vna vita nec tres mentes, sed vna mens, vna essentia. Memoria vero dicitur aliquid: & intelligentiæ, & voluntas siue dilectio simpliciter ad aliquid dicitur: vita vero dicitur ad seipsam, & mens, & essentia. Hæc ergo tria eo vnum sunt, quo vna vita, vna mens, vna essentia: & quicquid aliud ad seipsa singula dicuntur, etiam simul non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo vero tria sunt, quo ad se inuicem referuntur.

Quando

* forma-
tur.

Aug. li. 6.
de Trinitate
cap. 10.

Aug. li. 6.
de Trinitate
cap. 10.

Aug. de vera
religioe c.
43. 255. d.

Gene. c. 12

Exodi. 8.

Aug. li. 14.
de Trinitate
cap. 8.

Aug. li. 10.
de Trinitate
cap. 11. a
Substantia
ma & con-
grua similitudo.